

49/30.

1702 8

# JUSTA SOLEMNIA

V I R O

MAXIME REVERENDO AMPLISSIMO  
EXCELLENTISSIMO

# M. DAVIDI CASPARI

SUPERINTENDENTI REGIO

CONSISTORII RIGENSIS ASSESSORI PRIMARIO

AD D. PETRI ANTISTITI

SS. THEOLOGIE IN GYMNASIO PROFESSORI

ET SCHOLÆ CATHEDRALIS INSPECTORI

UT HACTENUS MERITIS SUIS ÆSTIMATISSIMO

SIC NUNC DESIDERATISSIMO

AD D. IX MARTII ANNI MDCCII

PUBLICO PIOQ. LUCTU

EXSOLVENDA

INDICARE VOLUIT DEBIT

# M. ARNOLDUS FUHRMANN

ECCLESIASTES.

R I G Æ,

TYPIS GEORG. MATTH. NÖLLER.

Est. A

Taru Kikk. Mikooli  
Raudalokogu  
0129

A 5075.2



**N**ondum in hoc publicæ calamitatis  
statu, in quo hæcenus variè afflicti hæsi-  
mus, abyssus invocare abyssum desit. Vix  
exequias B. Zimmermanni, Viri tantope-  
rè de Ecclesiis nostris meriti, prosecuti su-  
mus, & ecce, urgent aliæ nunc quoq; pari pietate eundæ.  
Ita recrudescant oportet, quæ, circa elapsi nuper anni fi-  
nem, morte B. Baumanni & B. Schvartzii, Reverendo  
huic Ministerio inflicta sunt vulnera, dum, binis ægrè ex-  
actis novi anni mensibus, bina superadduntur Mystrarum  
funera. Tarquinio vultures, aqvilarum fœtus dilaniantes,  
regni amissionem, ex credulitate Ethnicorum, porten-  
derunt. Cajus Hostilus, ad bellum iturus, dum, sacrificio  
adstans, aqvilas è caveis dimissas avolare, nec redire  
cerneret, ex haruspicum doctrinâ, sibi ipsi Deorum iras  
est ominatus. Quodsi nobis compertum est, fidos in Ec-  
clesia Dei vigiles, verbiq; divini ministros, à Spiritu Sancto,  
Sacris in Literis, cum Aqvilis comparari, quemadmodum  
aqvilam talem, in persona Eliæ, in cœlum elati, & velut avo-  
lantis repræsentat Eliæus exclamans: אבי אברהם אבי ישראל ופרשיו  
Mi Pater, Mi Pater, currus Israel & eqvites ejus! ut  
ex eorum quoq; evolatu augurium capiamus, eò magis  
conveniet, quò est certius, justos ante mali faciem colligi.  
(Esa. LVII. I.) Quem nuperrimè ex discessu B. Zimmer-  
manni, qui ultimo Mensis Januarii die, proh dolor! con-  
tigit,

tigit, dolorem sensimus, fuit omninò acerbissimus: tanto tamen majores ex hujus morte in nobis exsurgunt cruciatu, cujus Manibus Justa nunc persolvimus, ultimo Februarii die ad superos elati; quanto præ membris reliquis Caput præstat. Scilicet amissimus Virum Maximè Reverendum, Amplissimum & Excellentissimum M. DAVIDEM CASPARI, Regium Ecclesiarum Rigensium Superintendentem, & Consistorii Assessorem, nec non Pastorem Primarium, S.S. Theologiæ in Gymnasio Professore, Scholæq; Cathedralis Inspectorem. Amissimus, inquam, nec sine magno omnium bonorum stupore, tremore, & mœrore. Aquilam hunc meritò dixeris, si, quò polluit, singulare magnæ mentis acumen, si animi magnitudinem, in adversis fortitudinem, & quæ fuerunt alia, in vita ipsius excellentissima, respicias. Quantopere Beatus Noster, ut ad Veritatis pietatisq; æternum lumen, quem admodum Aquila pullos ad solem, in cathedra, in iuggestu, alibi educeret annisus est: quantopere ut recto oculo, volatuq; recto eum ducem sequeremur, monuit, probe gnarus, solis ali lumine aquilas. Non titubavit in eo fidei acies, nec eum terruere calamitatum fulgura, præsentia quoties despexit, futura respexit? Verbo: Aquila fuit; at, eheu! fuit, evolavitq; tutissimam in cœlis requiem occupaturus. Verum enim verò cum irrevocabilis sit hæc fati lex, ut in patientia & pœnitentia animos nostros confortemus, justum erit, assiduis æthera pullantes precibus, ut

quæ ex tantorum Virorum frequenti abitu nobis iminent gravissimorum malorum præſagia, à cervicibus noſtris avertere Deus dignetur. Neq; etiam defuncti Manibus gratum accidere poteſt, ſi Providentiæ divinæ magiſterium, majori quàm decet cura rimemur, nec ejus beatitudo imminuitur, ſi fibulam ponamus nimio luctui. Quin potius hoc agamus, ut Deo pro hoc tanto Viro gratias agentes, ea, quæ ipſe docuit, quæq; Eccleſiæ præſtitit, gratis cogitationibus ac ſermonibus celebremus, & expreſſis veſtigiis proſequamur ac imitemur. Quare colligamus nos & mœrori conſideratione totius VITÆ CASPARIANÆ ſtudiorumq; & magnarum virtutum commemoratione, tanquam efficaci medicinâ, occurramus.

Lucem primùm adſpexit CASPARI in Celeberrima Borussia Metropoli, patriam agnoſcens Regiomontum, in quo Ao. 1648. die 5. Martii ortum Noſter accepit & incunabula. Quamvis equidem non ſemper ſpectandum ſit, *ὡς ἀπὸ μεγάλης πόλεως τις εἴη, ἀλλ' ὅστις μεγάλης πατρίδος ἄξιός ἐστιν*: monente Ariſtotele apud Diog. Laërt. nihilominus tamen illuſtrius natale ſolum ad præſtantioreſ virtuteſ exercendas calcare addere iſis ſolet, qui ad altiora ſpirant. Quoties Beatus Noſter patriæ recordatus terreſtris, in memoriâ ſibi facile revocare potuit manſionem in cœliſ, montem verè Regium, diutius, imo in nunquam finienda ſecula permanſurum, præ alterò illò in terris. Et ſicut forteſ creantur fortibus & bonis, ſic etiam gloriandi de piis probiſq;

lau-

laudabili familia oriundis Parentibus ansam habuit non  
 levidentem. Patre genitus est Viro inter Cives Clarissimo,  
 Amplissimo & Integerrimo Domino Johanne Caspari,  
 Mercatore ex præcipuis Optimo; nec non Præfecto  
 Neo-Ecclesiæ Spectatissimo: Matre lectissima & sui  
 sexûs virtutibus ornatissima Matrona Elisabetha Kretz-  
 meria. Licet alias non sufficiat honesta nativitas cum juxta  
 Hebræorum sententiam: חמץ בן יין Acetum vini proles,  
 (quo ipso indigitare voluerunt, multos pessimos filios  
 generosissimis esse natos parentibus) nihil tamen ho-  
 rum metuendum erat ob providam Parentum solertemq;  
 curam & industriam. Cum ita corrupta sit, per peccatum  
 originis, humanæ naturæ indoles ut, nisi pietate & virtute  
 sedulaq; educatione imbuamur, in pejus subinde rue-  
 re soleamus, nihil prætermittendum judicarunt opti-  
 mi hi Parentes, quod ad salutem pueri, ad pietatem &  
 virtutem ei ingenerandam faceret. Prima cura fuit, ut ba-  
 ptismo ablueretur, Christo offerretur, hujusq; corpori,  
 quæ est sancta Ecclesia, insereretur. Ibi DAVID nomen ei  
 inditum, quô in librum viventium, qui in cælis est, relatus,  
 quo & compellabitur, quando Cœlestis Brabeuta coronam  
 gloriæ ipsius capiti est impositurus. Davidis nomen ab He-  
 bræo דוד & ab hoc Jedidiah, ob annexum nomen Dei es-  
 sentiale JAH, quam suavissime personat in auribus divinis!  
 Nomen & omen cum Regio illo Psalte gestans, fortunam  
 utramq; expertus in misera hac calamitatum valle, per a-

Spera ad prospera, per crucem ad lucem, per carduos ad ar-  
dua, æqvâ animi patientiâ & in tenello ætatis flore progres-  
sus est. Parentibus enim Carissimis, svavissimisq; Ao. 1661.  
unâ cum fratre, qvi ætate grandior erat, M. Andrea Caspari,  
peste extinctis, Hic noster, qvi Parentibus suis pupilla fuit,  
anno ætatis suæ undecimo pupillus factus est. Tantùm vero  
abfuit, qvin negligeretur aut inter degeneres seduceretur,  
ut potius ex singulari Dei providentia, vigilantia commissus  
curæ Sororis majoris natu, Nobilissimæ omniq; virtutum  
gloria decoratissimæ Matronæ, Elisabethæ Caspari, Nobi-  
lissimi pariter & perstrenui, Domini Johannis Heppenii in  
Borussia bene-meriti Centurionis, Conjugis Dilectissimæ,  
(cuj9 cum domesticis in auram subduct9 puriorem & extra  
Civitatem in remotius paululum dislito horto, âeri veneno  
referto, ereptus) provida sollicitudine educaretur. Donec tan-  
dem, cessante contagione, initio quidem cura Tutoris sui  
fidelissimi, Henrici Kantelii nec non Nobilissimi, Am-  
plissimi, Prudentissimiq; Georgii Tetzeli, Ordinis Sena-  
torii Membri Gravissimi, Pratoris Palæopolitani Regio-  
monti meritissimi, non modo privata institutione imbu-  
tus, postea in ludum Patriæ literarium deductus peritis ac  
prudentibus Præceptoribus commendaretur, ut ad Virtutes  
Christiano homine dignas, necessariasq; in vita scientias &  
doctrinas manuduceretur. Imprimis fidelem salutaremq;  
B. Stephani Mölleri & B. M. Andreae Concii ac Matth. Freun-  
dii, eruditione undiqvaq; clarorum Philosophorum, Ma-  
the-

thematicorum, Rectorumq; Scholæ Palæopolitanæ in Patria informationem, decentibus gratisq; encomiis deprædicabat, non ignarus ejus, quod Sapientissimus inter mortales Salomo: Rectâ, ait, imbutus viâ puer, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Hinc factum, ut *ὁ μακροβίος* in juventute sua sub horum fideli manu ductione ex singulari amoris adfectu, licet Eum satis dignum è Schola triviali ad Academica studia dimittendum censuerint, bienniô aut trienniô diutius inter primarios Scholæ permanserit. Quod ipsum Ei adeò gratum fuit, ut sæpius fassus sit, omnia ferè illa, quæ postmodum in laudabiliter administrato Rectora- & Inspectoratu, magno cum studiosæ juventutis emolumento docuit proposuitq;, ex Seminario hoc fructifero prodiisse. Profectiore vero ætate Ao. 1667. in Universitate Regiomontanâ, numero Civium Academicorum adscriptus, in id primariô animum intendit, ut, ab otio & consortio pravorum planè alienus, aureum & nunquam recuperabile tempus utiliter impenderet. Itaq; magno zelo, ardore & fervore studia sua prosecutus est, Doctorum libros assiduè in manibus habuit, volvit, evolvit, & quamvis mira valeret ingenii felicitate, mirâ judicii dexteritate, mirâ memoriæ promptitudine, noluit tamen tantum cum mortuis Præceptoribus sibi rem esse, sed & viva voce docentibus assiduè deditus fuit, lectionibus publicis aures frequentissimas patentissimasq; præbuit, recordatus illud Plinii Junioris: Legendi semper occasio est, audiendi non semper,

præterea multo magis, ut vulgò dicitur, viva vox afficit. Nam licet acriora sint, quæ legas, altius tamen in animo sedent, quæ pronuntiatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis affigit. Omnia hæc Beatissimus noster, animo assidue volvens, tum quidem Coronam Excellentissimorum Professorum in exemplum sibi selegit studii literarii, consuetudine non minus fere quotidianâ quam observatione & imitatione indies proficiens. Innotuerunt itaq; Ipsi familiariter D. Christianus Dreierus, D. Melchior Zeidlerus, D. Bernhardus à Sanden, D. Johannes Philippus Pfeifferus, M. Andreas Hedio, M. Daniel Rhode & ut alios silentii peplo involvamus, Gorlovius, Grabius, Pichlerus. Quos omnes tam in Philosophicis quam Theologicis Prælectionibus, velut Paulus Gamalielis pedibus assidens, indefessa veneratus est auscultatione. Nec tamen in his subsistere, sed concitatis calcaribus in Philosophiæ stadio *PLUS ULTRA* contendere, decorum videbatur. Nati hinc tot præcellentes in Philosophia fœtus. Ejusmodi sunt Theses illæ Philosophicæ pro Receptione in Facultatem, ut ajunt, Philosophicam, sub Præsidio M. Danielis Rhode Ao. 1670. Mense Januario, publico applausu ventilatæ. Excepit has alia de Definitione τῶν πολλαχῶς κὶ τῶν πρὸς ἓν κὶ ἀφ' ἑνὸς λεγομένων, plurimò studio pariq; successu elaborata Disputatio Præside Viro Clarissimo M. Andrea Hedione, duabus Sectionibus publicè absoluta. Nova de

*ἀνεροπία*, Voce apud Veteres Græcos successit, insequentibus plurimis aliis, quas tamen heic prolixius recensere, foret superfluum, cum, ex *Ungve leonem* agnovisse, sufficiat. Hactenus Philosophicis ejusmodi studiis bene præparatum petus, ut Theologicis quoq; exercitiis *de Virtute in Virtutem* progrediendo expoliret, de Definitione Hæretici, Præsidi M. Melchiore Zeidlero, S. S. Theologiæ Prof. P. Secund & Concion. Aulic. t. t. Academiæ Rectore Hic Noster Ao. 1673 disputabat publicè. Quemadmodum tamen fructuosiores evadunt ex nativitatibus loco in alium translatae arbores; ita & Nostro τῶν νῦν ἐν ἀγίοις, ut alio sub cælo florentes Academias quoq; inviseret, Promotores & Patroni auctores fuerunt, maximè, ubi ne longitudine diei, nec solis æstu, nec operis difficultate à continuo & indefesso labore Nostri posse revocari cernerent, Patresq; Academici dignum tantis conatibus de prædicarent. Itaq; post sex annorum decursum, quantum nempe in Patria hac Musarum Sede studiis invigilaverat, tandem die 12. Maji Anni 1673. non sine lacrymis carminibusq; Votivis pii cujusvis hinc solvit, celebriores Academias alias aditurus, non prætermittens tamen extantiorum in itinere Civitatum perlustratione, non nisi curiosissimis proficua. Prima, quam in via attingit, Academia Witteberga fuit, ubi magni nominis Theologos, D. Abrahamum Calovium, D. Joh. Andream Qvenstedium & D. Joh. Deutschmannum ingenti cum fructu audivit: quâ mox relicta, Lipsiam, ubi Carpzovios in Theologia & Jurisprudentia famigeratissimos offendit, accessit, Jenam hinc properaturus, quippe in qua Palæstra diutius præ aliis subsisterere animus erat. Audivit heic D. Johannem Musæum Academiæ Salanæ t. t. Rectorem Magnificum, D. Sebastianum Nieemannum, Superintendentem & Sac. Consistorii Asses. D.

Frid. Bechmannum, at quantos Theologos! Tot artibus ornatus copiosusq; Incomparabili Philologo Joh. Frischmuto fuit inter delicias. Mathematicorum Phœnicem Erhardum Weigelium miratus semper est. Taceo Goetziū, Bosium, Posnerum, Müllerum, Hundeshagenium, Vethe-  
mium, Beierum, Schvvīmerum, Grübelium, & qui primo loco nominandus erat Johannem Schilterum, Phil. & J. U. D. Consil. Aul. Saxo-Jenens. qui omnes Nostrum in amicitia adscivere penetrata, consilio & patrocinio decursum illius promoventes. In hac enim illustri ad Salam Academia præmium eruditionis reportavit splendidissimum, *Magisterii Βεβαβαιον* imponente *Excellentissimo Brabenta & Decano, Erhardo VVeigelio, Architecton. Direct. Supr. Mathemat. Prof. Publ. Famigeratiss. Alumn. Inspect. Meritiss: sub Rectoratu D. Johannis Musæi, S. S. Theolog. Prof. Publ. Celeberrimi, Facultatisq; sue Senioris Gravissimi.* Quam gratô animô, quantisq; aliorum plausibus honores hosce exceperit, eorum dignissimus, *Ejus de Vita Dei, qualis ea sit ex mente Græcorum & potissimum Aristotelis? Exercitatio* abundè demonstrat, quippe, quâ Ipse, Respondente intimoris admissionis *Conterraneo, Laurentio VVege-* tum Anno nempe 1673. die 3. Decembr. *Præsidis* locum in Cathedra occupans, eruditorum disquisitioni exhibuit. Hinc discedens, Academiamq; *Tubingensem* attingens, non cessavit ibidem quoq; persequi studiorum cursum. Prima cura fuit, orbi literato innotescere, & familiaritatem Clarorum undsq; Virorum sibi acquirere. Innotuere Nostro illic *D. Balthaser Raith. Theologus & Ling. Orient. P. P. Ecclesie Decanus & Ducalis Stipendii Superattendens, D. Job. Adamus Osiander S. S. Theol. P. P. D. Johannes Graffius, Log. & Metaph. Prof. P. Facultatis Philos. t. t. Decanus, M. Christophorus Caldenbach. Eloq. Poes. necnon Historiarum P. P. M. Christophorus Zeller, Eccl. Tubing. Diac. M. Job. Eberhard Brauch, æterna ad fastos & postereros nomina, quorum è doctissimis Colloquiis (quod*

Compendiariæ & Secretioris disciplinæ genus esse, non ignorant, qui altiùs ista arcana rimantur) ut fructus Ille cepit uberrimos; ita amplum Ipsi fuit, eorum laudibus gravissimisq; judiciis honestari. Tantum enim ubivis egregiorum in *Cassari Nostro* profectuum fuit pretium, ut ab Athenæo Tubingensi feliciter reduci, eleganti gratulatione Stutgardiæ Ao. 1673, ipsis Septembris Calendis *Magnus Hefenthalerus Sereniss. Virt. Duc. Prof. Honor. cum M. I. F. Malblanc Sereniss. Principi ac DN. DN. Sibyllæ Duci Wirtembergiæ à Concionibus Sacris* occurrerent. *Noribergæ* cum commoraretur, cum Germanorum *Horatio Sigismundo à Bircken Comite Palatino* amicitiam coluit non vulgarem. *Altorfi Durrium, Wagenfeilium, Saubertum & Sturmium, Argentorati Sebastianum Schmidium & Johaniem Rebbanum, Viennæ Petr. Lambecium, Rudolstadtii Fritschium Helmestadii Conringium & Calixtum, Francofurti ad Viadrum Sam. Stryckium* non salutavit modò, sed & auscultando impensè veneratus est. Quinimò nec defuère de sexu sequiori, quæ, quod rarum hoc seculo! Carminibus elegantioribus felicia quævis *Cassari Nostro* acclamarunt. Inter quas velut gemma promicuit Poëtissa ultra sexum suum doctissima *Gertrudis Mölleria, nata Eifleria*. Quid multis? Ubivis *Noster* tam gratus, tamq; acceptus fuit, ut in omnibus, Eruditorum, quibus innotuit, animos studiaq; in se pronos expertus sit ubiq;. Peregrinationes, quas instituit per plurimas alias Civitates & Academias, ita profectus est ut totam ferè Germaniam, non tam quàm lutea, lapidea, aurea & argentea, sed quàm humana est & literata, perlustraret, & postquam *Ratisbonam, Monachium, Augustam Vindelicorum, Ulmam, Neoburgum, Ingolstadtium, Viennam Austriæ, Pragam, Dresdam, Erfurtum, Halam Saxonum, Magdeburgum, Helmestadium, Brunsvigam, Gwelpherbytum, Luneburgum, Hamburgum, Kilonium, Gottorpiam, Lubecam, Rostochium,* & quæ non loca alià observantiori oculò perlustrasset, eruditâ ubi-

vis cum Clarissimis Viris consuetudine usus, multâ rerum  
Scientiâ & experienciâ gravis, tandem die 22. Maji Anno 1674.  
Regiomontum in Patriam reversus est. Hic ne tempus malè  
falleret, Disputandi incumbere studio, Exercitationes Aca-  
demicas proponebat varias, quas Ipse Præses defendebat  
publicè, inter quas *Triga Thesium Philosophicarum pro Receptione  
in Amplissimam Facultatem Anno 1674. die 30. Junii* multa pol-  
let scientiâ. In primis operam dabat *Observationibus Histo-  
rico-Physicis, quarum Exercitationes Quinq; de fabulosis nonnullorum  
animalium affectionibus, de Cantu Cygni, de Partu Ursarum* aliisq;  
rebus curiosis lucem videbunt diuturnam. Quantoperè  
Illius Collegia Privata *Pansophica* à Studiosa juventute sint  
excepta, pluribus adducere non vacat, cum ubivis & in o-  
mnibus, ita notum sereddiderit orbi erudito, inq; eo Aca-  
demiæ Patriæ, ut suffragiis Superiorum *Communis Convictor-  
ii & Electoralium Alumnorum Inspectio Secundaria* præ aliis Spe-  
ctatissimis Competitoribus Anno 1676 Ipsi committere-  
tur. Factum hinc porrò, ut *Patres Nostri Conscripti*, de re-  
staurando tum *Gymnasio solliciti*, Hunc Nostrum dignum  
æstimaverint, qui unanimi consensu Ao. 1678 ad *Philosophi-  
cam inibi ornandam Professionem, & ad Rectoratum Scholæ Cathe-  
dralis obeundum* evocaretur. Vocationem istam, uti cælitus  
Illi destinata fuit; ita neglectis iis, quæ ibidem ad commodi-  
us vivendi genus, majoresq; honores assequendos Eidem  
proponi videbantur, annuente in se suscepit animo. Ante-  
quam verò hoc propositum exequeretur, magnò visendi  
majorem suum natu, qui tum adhuc inter vivos erat, Fra-  
trem, *Consiliarium Duc: Neoburg: & Thesaurarium, Virum Nobi-  
liss. Dn. Johannem Caspari in Urbe Slucensi*, tenebatur desiderio.  
Ea propter Regiomontum relinqvens, iter per Prussiam &  
Lithuaniam cò direxit, & tandem, lustratis præcipuis ea-  
rum Regionum locis, Ao. 1678. die 17. Martii *Livoniæ* attigit  
oras. Quamprimum *Rigam* nostram salutavit, cura fuit  
maxima, ut hæc loci publicam Eruditionis redderet ratio-

nem. Factum id, dum magnò quorumvis confluxu, in Æ  
de Collegii Civium Majoris, *Orationem de Muneris sui pondere*  
& *pretio*, haberet, omnibus verè eruditis quin & Patronis  
suis commendatissimam. Reseratò jam Gymnasiò, factâq;  
Introductione & in Gymnasium & Scholam, quantâ indu-  
striâ & fide, munere sibi demandato defunctus sit, pluribus  
deprædicare supersedeo. Testantur id non modò manu  
exceptæ *Lectiones publicæ Philosophiam cum Theoreticam tum*  
*Præcticam* complexæ, accedentibus publicis *Disputationum* E-  
xercitiis, quarum Celebriores typis Orbi innotuerunt. *Di-*  
*alectica* Præcepta cum rarioribus *Observationibus* in pluri-  
morum adhuc dum volvuntur manibus *Ethica & Politica*, ju-  
stis Voluminibus editæ, eruditionis specimen suppeditant.  
Præter has quantum Naturalis Scientiæ in edecumata erudi-  
tionis *Dissertationibus*: *de Dubitatione* Anno 1682. die 16.  
Maji *de Norma Physices* Ao 1683. die 15. Maji: *de Phœnice* Ao.  
1687. die 7. Julii evulgatis, prominet? quantum pro mana-  
vit alibi? In quo laborum cumulo cùm *pulpita* etiam *Ecclesia-*  
*stica*, Superiorum jussu, adscenderet, quantum Eruditionis  
hactenus in Auditores Scholasticos, tantum pietatis doctri-  
næq; Christianæ in quosq; sparsit alios. Hunc enim Anno  
1681. die 17. Januarii *Ecclesiæ Cathedrali Diaconum* dare è re pu-  
blica visum fuit, quem progressu temporis Ao. 1683. die 20.  
Aprilis *Inspectioni Scholæ* consecrarunt & Ao. insequenti die 16  
Septembris *Ecclesiastem Concionum Hebdomadalium* (quarum  
plurimas in Evangelium Matthæi, ad finem vitæ continua-  
tas, nec dum absolutas, habuit, inter quas illa de *Qualitate Pa-*  
*cificorum* Ao. 1686. die Sabbati scilicet 4 Decembr. in Templo  
Cathedrali ex Matth. V. commate nono publice proposita  
prominet) constituerunt, donec tandem Ao. 1791. *Pastor Ec-*  
*clesiæ Cathedralis & Venerabilis Consistorii Assessor* denunciaretur.  
Nec talia sufficiebant munera, quin pluribus opus erat *Her-*  
*culi Nostro*, ut, quid valeant humeri? elucesceret clariùs. Ad-  
dita proinde muneribus aliis iisq; gravissimis, *Professio Theo-*

*logica Gymnasio* Ao. 1698. die 15 Septembris, Ejusq; fidei & dexteritati concredita fuit. Quantò labore, ardore, sudore, additis vigiliis, vires sæpe enervantibus, quanto etiam egregio & notabili cum Ecclesiæ emolumento has sibi collatas functiones ornârit, fama non minus publica, quàm privata cujuscunq; conscientia abundè testantur, Quod *grave onus* non *levis honos* præmiūq; dignissimum seqvebatur. Enimverò per imperscrutabile Dei consilium è vivis nobis non sine gemitu ereptò Incomparabili & annis & meritis *Vtrò Maximè Reverendo, Amplissimo, Excellentissimo Domino Johanne Brevero, SS. Theologia Doctore, Superintendente Regio, & ad D. Petri Anustite Gravissimo, Magnificus Nobilissimusq; Civitatis hujus Magistra: us Hunc suum Caspari* (verè enim æstimavit suum, non meritis modò, verum & affectu) in *Soceri* sui locum & dignitates successurum, *Petrinæ Ecclesiæ Pastorem Primarium* amabili consensu renunciavit. Accessit, quod *Serenissimus & Potentissimus Rex Sveciæ CAROLUS XII,* subjectissimæ huic Civitati singularem factururus gratiam, petito *Magnifici & Amplissimi Senatūs* devotissimo annuere, *presentiumq; Hunc Anno 1700. Superintendentem Ecclesiarum Eigensum* constituere non recusaverit. Ex eo tempore, majore cum curâ, spartæ huic suæ invigilare, omnibus viribus annisus est. Vigilavit pro sibi commisso grege contra grassantes lupos: Vigilavit pro Ministerio sacro, ut omnia ordine fierent & decenter. Vigilavit pro sibi commendatis Musarum Alumnis, ut in pietate & scientia indes proficerent. Vigilavit pro tota Ecclesia & salute communi. Vidimus in Beatissimo Nostro *Caspari Basilium Magnum & Gregorium,* quorum in altero facilitatem cum cura; in altero singularem gravitatem & splendorem: in utroq; eruditam pietatem admirari satis non possumus. Audivimus *Theodoretū* lenitatem in dicendo, in interpretando candorem: *Lactantii* diffusam eloquentiam. Percepimus in *Eo Athanasii* in asserenda Veritate constantiam. Sensimus *Augustini* acumen in disputando: *Chryostomi* copiam rerum & sermonis ornamenta: *Bernhardi* acrimoniam & sententiarum argutam syavitatem ac eruditam elegantiam. *Sacrarium* velut in Ipso amissimus, in quò varia donorum & edecumata eruditionis & virtutum, quas angustia chartæ non capit, κειμήλια renitebant. In cujò auribus semper perfoavit *acclamatio Paulini: περι πάντων σεραίων παρεχόμενον ἑτύπον καλῶν ἔργων ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀδιδασκείαν, σεμνότητά, λόγον ὑγιῆ, ἀκατάγνωσον, ἵνα ὁ ἐξ ἐναντίας ἐν Ἰερουσαλήμ, μηδὲν ἔχων περι ὑμῶν λέγειν Πάυλον.* Ab aris ad focos veniamus: nam ut in illis operatus est eâ, quâ debuit, fide & pietate; ita & horum, ut bonum

deceat Patrem familias, curam habuit, nempe ut & Ipse typum exprimeret *amoris mystici*, quo Ecclesiam prosequitur Christus, è Servatoris monito, pio puroq; amore Ao. 1679 die 11 Septemb. complexus est *Virginem p etatis omniumq; virtutum, suo sexui convenientium, laude commendatissimam, ANNAM, Viri nunquam dignè satis nominandi JOHANNIS BREVERI, SS. Theologiae Doctoris & Superintendentis Regii Filiam natu majorem.* Quàm placidè cum illa ætatem egerit, norunt omnes, & ipsa testantur conjugalis amoris *βλέποντες μαρτυρία*, dulcissima thalâmi pignora: *Johannes, David, Georgius & Melchior*, omnes quousq; Deo placuerit, superstites. Quenadmodum autem rarò diuturnum est idem quod svave; ita non ultra sexennium amabilissimum hoc constitit Conjugium, charissima hac Vita Socia, graviore quodam morbo Anno 1686. die 23. Aprilis è vivis sublata. Quam familiæ suæ lacunam ut tandem expleret, post tres in viduitate annos exactos, Anno 1689. die 4. Martii domum sibi denuò duxit *Nobilissimam, Virtutibusq; omnibus lectissimam Virginem MARIAM, Virò Nobilissimò, Amplissimò, Prudentissimòq; Dominò EBERHARDO A SCHULTZEN, Senatore Urbis hujus dignissimò, optimèq; de Patria meritò ortam*, cum qua, miræ animorum consensione, annos duodecim exegit, quadruplici propterea puerperiò, unde tres adhuc superstites sunt liberi: *Margareta, Eberhardus & Nicolaus*, fœcundam. Quanto itaq; mœrore & luctu, & hac Conjuge, ante annum penultimâ Martii, Orbis, *Beatus Noster*, circumfusus fuerit, Timanthi exprimere vix fuisset concessû. Quantum ab ea, durante conjugio, amoris in educandis liberis, in procurandis rebus domesticis solertiæ, in adversitatibus, solatii, accrescentibus cum ætate morbis, lenimenti, in calculi doloribus creberrimè insultantibus, auxiliè, *Beatus Noster* fenserit, notius est, quàm ut hic adumbrari debeat. Quenadmodum vero per totum vitæ cursum, fiducia in Deum firmissimâ fretus, & à primis ungviculis præsentissimum Numinis sui, in adversitatibus & periculis adjutorium supplex veneratus est: ita etiam hoc in casu cruceam à Deo immissam patienti sustinuit animo. Verbo: In omnibus actionibus suis *magnam pietatem, singularem prudentiam, amabilem affabilitatem, gravem modestiam, fidem canam, tenuem misericordiam, laboriosam industriam, durabilem patientiam, Theologòq; dignam vitam sanctimoniam* præ se ferre non intermisit. Quales quantosq; virtutum radios spargere, aliisq; præluere conatus sit, ut hic multis prædicetur, non eget. Quin potius publicus omnisq; Civitatis hujus luctus de pretio amissitanti thesauri, tam Vigilis Dei Legati, qui ultra hinc annorum Decades omnes officiorum suorum partes explevit quàm dexterimè, tam egregii *Philosophi, Oratoris, Philozi, Poetae*, paucis: *τὸ μάρτυρον ἐπέσταυρον*.

Nempe postquam Venerabilis hic *Noster Antistes* die 9. Februarii, ipsa Dominicâ, ut vocatur Sexagesimâ, cum Exequias Collegæ sibi aliâs conjunctissimi *Dom. n. Hermannî Zimmermanni, Pastoris in Ecclesia Cath. drali optimè meriti & Assessoris Consistorii Amplissimi* publicè è suggestu intinisset, populumq; in Templo erudivisset, ejusdem septimanæ die altera, fatali quodam nervorum correptus frigore, & tantùm non stupore, ex illo tempore, uno quasi ictu prostratas omnes corporis sensit vires. Lecto exinde affixum mox febris excepit acutissima, nihil proficientibus, quæ extingvendo morbo, provida *Æsculapii* nostri manus propinabat pharmaca, Manum ita injicientibus fatis, ad divina subito se totum convertit præsidia, meq; administrante, sacro viatico devotam Servatori suo animam instrui voluit. Quanto ardore die 18 Februarii, dolore commissorum, intervenientibus lacrymis, peccatorum, fiducia tamen in solum Sospitatoris meritum probè instructus, sacrum hoc epulum exceperit, loquantur, qui adstantes à piis lacrymis se temperare ægrè poterunt. Quæ secuta sunt mitiora insultantis morbi intervalla, suspiriis, precibus, piis ad Liberos circumstantesq; alios alloquiis extraxit, usq; dum die 23 Februarii horâ pomeridianâ secunda placidè animam exhalaret, quiq; ultimus Mensis erat, ultimus VITÆ CASPARIANÆ dies existeret. Mortuum igitur lugemus omnes, cujus tamen *post funera Virtus vivit; vivo' au' iq;* quidem anima è terrenis ad cælestia, a caducis ad æterna, à tristitia ad læticiam, ab ærumnis ad summam beatitatem; requiescit multâ pace, in dormitorio suo corpus, aliquando & i, cum ad cælos evocandum, ut redunitur animæ, splendidissimo Prophetarum choro, duodenò Apostolorum numero, innumerabilium Martyrum exercitui, Sanctorum Confessorum Sacro Conventui associatus, cum Beatis Electis, Angelisq; in nunquam terminanda seculorum secula triumphet. Nunquam tamen mente nostra laudes Ejus evolabunt, vitâ optimè actâ quam altissimè cordibus nostris impressæ.

*Semper honor, Nomenq; Tuum, laudesq; manebunt;*

*Ante fluet retro converso flumine DUNA,*

*Quam tuus è nostro labatur pectore vultus.*

Beato Defuncto Nostro tam angustos & magnos Menses, ipsamq; æternitatem gratulamur, Libris aliisq; magnò in luctu constitutis, divinam illam opem, quæ labentes confirmet, apprecamur. Afflictos erigat, orbos elevet, & efficacissimis solatii remediis exulceratos quosq; animos refocillet! Interim qui toties Verba è *Sug gestu*, alibi, ad nos facientem audivimus, qui manu ducentem, sensimus, sequamur etiam nunc ad tumulum præeuntem & quem Vivum spirantemq; olim *Euryaoiâs* Magistrum habuimus, nunc mortui *mutiq;* Doctoris exemplo sapere discamus. P. P. die 9. Martii, ipsâ Dominica